

214

# EVCCLIDIS ELEMENTVM

DE CIMVM QVARTVM ET SO-  
lidorum quartum, vt quidam arbitran-  
tur; Ut alij verò, Hypsiclis Alexan-  
drini, de quinque corpo-  
ribus.

## LIBER PRIMVS.

Proœmium Hypsiclis Alexandrini ad Pro-  
tarchum.

**B**asilides Tyrius, Protarche, Alexandri-  
am profectus, patrique, nostro ob discipli-  
næ societatem commēdatus, longissimo  
peregrinationis tempore cum eo versa-  
tus est. Cumque, differerent aliquando de scripta ab  
Apollonio comparatione Dodecaedri, & Icosaedri  
eidem sphærae inscriptorum; quam hæc inter se ha-  
beant rationem, censuerunt ea non rectè tradidis-  
se Apollonium; quæ à se emendata, vt de patre au-  
dire erat, literis prodiderunt. Ego autem postea  
incidi in alterum librum ab Apollonio editum, qui  
demonstrationem accuratè complecteretur de re  
proposita, ex eiusque problematis indagatione ma-  
gnam equidem cœpi voluptatem. Illud certè ab o-  
mnibus perspici potest quod scripsit Apollonius,  
cum sit in omnium manibus. Quod autem diligen-  
ti, quantum coniçere licet, studio nos postea scri-  
psiſſe